



26. K

10

Q. F.F. Q. E.  
Deo Ter. Opt. Max.  
*providente*  
**SERENISSIMO**  
AC POTENTISSIMO ELECTORE  
BRANDEBURGICO, DOMINO MEO CLE-  
MENTISSIMO  
*Statuente*  
**AMPLISSIMO SE-**  
NATU ACADEMICO  
*assentiente*  
**NOBILISSIMA FACULTATE**  
JURIDICA  
*comprobante*  
Institutionum Imperialium designatus  
PROFESSOR  
Initium Professionis facturus, adorationem,  
quam more Academie, illi in auditorio Jurisconsa-  
sulorum premitte,  
**Legum & artium liberalium**  
Studioſos omnes ac ſingulos amanter  
*invitat*  
**BENEDICTUS STYMMELIUS**  
u. J. D.  
— — — — —  
FRANCOFURTI  
Typis  
FRIDERICI HARTMANNI, BIBLIOPOLÆ.







Ecundus in Ro-  
mana Monarchia. Impe-  
rator, Octavius Cæsar, qui  
quod Urbem optimis institutis  
auxisset, & operibus magnificen-  
tissimis exornasset, pater patriæ  
atque Augustus dictus fuit, post,

quam potitus rerum, pacem per orbem terrarum fir-  
masset, consultationem habuit de armis ponendis, ac  
de republica Senatui populoque Romano reddenda.  
Cumque in consilium adhibuisset Agrippam & Mœ-  
cenatem, suos intimos amicos, imperiumque omnino  
deponere se velle simulasset: tum Agrippa consilio  
Mœcenatis, qui ad retinendum imperium graviter  
Cæsarem cohortatus erat, contrarium dedit, ac inter-  
multas rationes & has adduxit. Quis tot, Auguste,  
tantisque rebus dies ac noctes gubernandis durare?  
quo hominis naturæ consentaneo bono frui? quo-  
nam pacto recreari? aut unquam sine molestia esse  
poteris? cum qui amplum habet imperium, plurima-  
rum rerum curam sustineat, paucissima verò quæ ob-  
lectent sentiat, necesse sit. Haud tamen suadeo,  
inquit, ita simpliciter imperium deponas, sed ut prius  
omnibus populi utilitatibus prospicias, decretisque  
ac LEGIBUS, Syllæ exemplo, quod opportunum  
videbitur, constituas. Cæsar hoc consilio audito,  
id tum à prudentia, tum à dicendi libertate commen-  
dayit, rationes tamen de imperio deponendo repudia-

Vit, & Mæcenatis consilium secutus imperium retinuit, & rectè quidem. Neque enim magnitudo negotiorum principem ab imperio deterrere debet, cum rectè & sine periculo imperare sapienti Principi haud sit difficile. Si enim ad eam quæ, quæ a se est, togatam & militarem, divinam & humanam, prudentiam, adjunxerit & illam, quæ ab aliis est, tunc laborem princeps non admodum sentiet, si in partem curarum alios adsumat. Et quidem sine his subsidiis ne sit princeps, meritò curat : cum magna negotia, magnis adjutoribus egeant, ut ex Vellejo Lips. 3. pol. docet, nec unius mens tantæ molis possit esse capax. Quæ igitur res impedimento sit principi, quo minus omnibus hominis bonis, etiam perfectissimo, quod Philosophus i. ad Nicomach. proprium hominis bonum vocat, perfruatur ? Quod si & perfecta illa virtute, ac omnium virtutum præstantissima, JUSTITIA usus fuerit, nunquam errabit Princeps, omniaque ad felicitatem perducet, & magna cum suavitate vitam traducet. Quæ namque major voluptas, quam aliquem omnium bonorum fructum cum virtute percipere, & cum aliis communicare posse ? quam principem pacificum amari ? &, ut ait Mæcenas, tanquam patriæ patrem aspectari ? Quibus bonis tum demum perfrui se posse Augustus putabat, si optimis LEGIBUS rempublicam stabiliret. Quare & Agrippæ, utpote viri in rebus agendis, & media republica diu versati, de legibus consilium secutus, LEGES tum ad statum publicum, tum

ad:

ad ius privatum pertinentes, plorimas promulgavit, & reipublicæ statum firmissimum atque tranquillum reddidit. Nam sine JUSTITIA studio instabilis est civium concordia, ut apud Dionysium Halicarnas. 2. antiqui. Rom. habetur. Et Aristoteles 3. polit. JUSTITIAM publicæ salutis conservationem atque tutelam vocat. Quo & respexit Cic. cum nihil honestum esse posse, quod justitia vacet, n. Offic. scribit. Nam ubi LEGES non regnant, ibi nullam rem publicam esse, Aristoteles 4. polit. statuit. & libertatem ablatam esse, legibus sublatis, Halicarnas. 7. antiqui. Rom. censet.

Quamvis enim Princeps, lex dicatur animata, & plus etiam possit quam ipsa lex; cum quicquid principi placuerit, legis habeat vigorem, Ulpiano JC. teste, adeò ut & contractum principis, legis vicem obtinere, Justinianus Mennæ prætorii præfecto rescripserit: tamen LEX scripta, ait Aristotcl. 2. politicor. hominis voluntate certior est regula. Vacua enim lex est omnibus cupiditatibus, caretque affectibus, quibus homo turbatur sàpe, & animus ne possit cernere verum, vel amore, vel ira impeditur. Unde LEGALE IMPERIUM, regali præponendum esse, idem Philosophus 3. politicor. censet, ibidemque legis imperium, DEI imperium vocat. Certas itaque leges in omni republika poni & promulgari, quis non utile & necessarium esse judicet? cum JUS sit unicum illud vinculum, quo humana continetur societas.  
In quo quid præstiterint Romani, res ipsa loqui-

A; tur,



tur, ac quotidianus usus testatur. Id sanè certum est, in tota Europa JUS CIVILE ROMANUM, ob summam naturalem æquitatem & æquabilitatem, principem locum obtinere, & hominum generi universo maximè salutare esse: ut pote quod totam juris civilis scientiam, quantum humana ratio assequi, & quousque ea progredi potuit, tractet, & ferè integrum absolutamque exhibeat. Nec verò leges in republica esse sufficit, sed sint qui jura reddant, ait Pompon. J. C. necessè est: cùm constare jus non possit, nisi sint JURIS PERITI, per quos possit quotidiè in melius produci. Ideoque apud Romanos, ab ann. Urb. 302. plurimos & maximos Viros, qui non modò ob juris peritiam, sed & reipublicæ administrationem claruerunt, juris scientiam professos fuisse, ex l. 2. ff. de O. J. constat. Et quidem ante tempora Augusti, publicè respondendi, vel docendi jus, cuilibet, qui ingenio fidebat suo, liberum erat. Primus D. Augustus, ut major juris auctoritas haberetur, constituit, ut ex autoritate ejus responderent publiceque docerent. Qua in re Augustus & Agrippæ & aliorum sapientissimorum judicium fecutus est. Atque id quidem, cum aliis principibus meritò curæ est, tum ab Illustrissimo ac potentissimo Electore Brandenburgico, patriæ nostræ parente benignissimo, principe laudatissimo, Domino meo Clementissimo (cui DEUS novi anni felix auspicium, valetudinem prospicram,

ram, vitam longævam, gubernationem tranquillam concedat, est quod optem) probari & observari certum est. Cum enim Illustrissima ejus Celsitudo noverit, non tam munitionibus, quantumvis inexpugnabilibus, conservari rem publicam, quam diligenti & severa custodia atque administratione Legum, quæ ad certam rationem constitutæ sunt: non tantum unicè cogitat, quemadmodum in ditionibus suis, omnia gerantur & fiant legibus adjubendum aptis, & ad vetandum idoneis: verum etiam eò incumbit maximè, ne quicquam in cupidæ legum juventutis informatione desideretur, ea que de causa, non ita pridem, ordinarium statutumque Jurisconsultorum numerum supplendum benignissimè curavit, atque Institutionum Imp. professionem extraordinariam adjiciendam putavit, eamque mihi Clementissimè demandavit. Est enim adhuc memor,  
*(Nam benè apud memores, veteris stat gratia facti,)*

quod Celsitudinis ipsius primæ juventuti informandæ, cum Galliæ, Italiae & Angliæ regionibus perlustratis domum rediisse, adhibitus fuerim: ea que de causa, non tantum antea, munificencia sua me benignissimè juvit, sed & nunc temporis, publicum & honestum munus clementissimè mihi detulit. Cumque Illustrissimæ ejus Celsitudini morem gerens, amplissimus hujus Academiae Senatus, me in numerum Professorum receperit,

rit, & Nobilissimus Jurisconsultorum Ordō locum  
in facultate mihi concesserit: faciam Deo juvante,  
ut ex laudissimæ Facultatis Juridicæ jussu, lectio-  
nibus meis, brevem orationem, quam prælimina-  
rem vocant, præmittam. Ad quam audiendam ut  
Legum & ingenuarum artium Studiosi die Jovis  
proximo h. 9. in auditorio Jurisconsultorum fre-  
quentes conveniant, hacque ratione suam erga me  
humanitatem & benevolentiam declarent, obnixè  
rogo. P. P. Francof. Marchionum 12. Januarij  
An. 1622.

Ja 666

ULB Halle  
002 177 021

3



sb-200

Von MC





# Farbkarthe #13

B.I.G.



E. Q. E.  
Opt. Max.  
*dente*  
**ISSIMO**  
MO ELECTORE  
DOMINO MEO CLE-  
*simo*  
**IMO SE-**  
DEMICO  
*nte*  
**FACVLTATE**  
ICA  
*nte*  
rialium designatus  
SOR  
urus, adorationem,  
n auditorio Jurisconsa-  
mittet,  
m liberalium  
ngulos amanter  
**TYMMELIUS**  
URTI  
NI, BIBLIOPOLÆ